



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 8. Data à non percipiente omnia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

mortale; vel an aliquid satis perceperit; non est tanta obligatio jubendi, ut repetatur; multò minùs, si perspecta pœnitentis integritate præsumere possit, id, quod non perceperit, esse tantùm veniale. vide Gobat. *tr. 7. n. 235. & seq.*

§. VIII.

Data à non percipiente omnia.

89. Quodsi Confessarius ob surditatem, somnolentiam, distractionem, ignotum idioma, strepitum in templo, nimis celerem, vel nimis submissam, vel aliter vitiosam pœnitentis pronuntiationem, nullum ex peccatis confessis audiat & intelligat, tunc data absolutio videtur prorsus esse invalida, quia non habet materiam, supra quam cadat; cum confessio, sicut accusatio apud Judicem, si non audiatur vel non intelligatur, sit nulla. Melius tamen Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 9. n. 5.* & cum illo Palao *pœnit. Disp. un. p. 12. n. 3.* Dian. *p. 3. tr. 4. Resol. 109.* & *p. 4. tr. 4. Resol. 198.* atque alii docent, eam adhuc esse validam & fructuosam, si pœnitens bona fide confiteatur, quia Sacramentum Pœnitentiæ est adhuc validum, quando absolutio datur illi, qui Confessario manifestat tantum in genere se esse peccatorem, & absque omni sua culpa hîc & nunc plus præstare non potest; uti admittunt DD. in articulo mortis, & etiam extra illum probabile esse docet Dicast. *de pœnit. Disp. 9. n. 761.* de quo *inf. n. 103.* atqui in dato casu pœnitens sufficienter manifestat Confessario se esse peccatorem, si Confessarius advertat, illum sua peccata dicere, etsi ipse nullum in particulari intelligat; vel si pœnitens in fi-

ne dicat se esse confessum; vel petat absolutionem: hîc & nunc quoque, quia ignorat sua peccata non esse audita vel non intellecta, non potest plus præstare. Sic etiam Gob. *tr. 7. n. 239.* docet, quòd Confessarius, cum expertus est aliquem non committere mortalia, & inter alia venialia communiter se accusare de aliqua voluntaria distractione, possit eum adhuc absolvere, etsi ob distractionem non sit memor ullius peccati confessi. Multò magis autem valebit absolutio, quam Confessarius dat illi, ex cujus confessione non omnia, sed tamen aliqua, & saltem vel unum veniale tantùm in specie perceperit. Dicast. *de pœnit. Disp. 8. à n. 95.*

Quodsi tamen deinde pœnitens certò resciat, quod vel quænam ex suis mortalibus non fuerint à Confessario audita vel intellecta, debet nihilominus adhuc illud vel illa omnia iterum confiteri, ut ab iis, quæ omnino non audita vel intellecta sunt, directè absolvatur; alia autem, quæ sub ratione peccati sed in genere tantum sunt audita vel intellecta, ut subjiciantur potestati clavium etiam quoad suam speciem & numerum.

90. At verò si pœnitens in tali casu non sciat, quodnam determinatè peccatum mortale ex confessis non fuerit auditum vel intellectum, tunc juxta Gobat *tr. 7. n. 493.* tenetur singula mortalia, quæ tunc confitebatur, iterum confiteri, quia de singulis dubium est, an sint legitimè confessa & absoluta. Sed Lugo & Dicast. *l. c. n. 99. cum seqq.* concedunt quidem hoc, si confessio fuit brevis, & ex paucis tantum v. g. tribus vel quatuor mortalibus unum vel alterum indeterminatè non fuit auditum vel intellectum. Si verò ex multis mor-

mortalibus sciatur tantum unum vel alterum non esse auditum vel intellectum, & nesciatur quodnam determinate sit illud, tunc negant ullum esse repetendum; quia etsi de singulis sit dubium, an sint legitime confessa, tamen dubium istud non est morale, sive sufficiens ad inducendam obligationem repetendi singula ex multis; sicut si constet Cajum esse filium unius ex pluribus civibus, dubium est de quolibet illorum, an non sit pater Caji. Sed dubium hoc non est morale seu sufficiens, ut propterea quilibet teneatur eum alere, pro hærede habere &c. Aliud est, si certo sit filius unius ex duobus tantum, vel tribus, & non sciatur determinate cuius. Præterea sicut in multis aliis casibus, ita etiam in hoc non videtur Christus exigere integritatem materialem confessionis, cum servari hæc non possit nisi cum tam gravi molestaque multorum peccatorum mortalium repetitione. Nihilominus tamen sicut ille, qui scit se aliquod mortale commisisse, sed non amplius meminit quale, debet illud confiteri in genere. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 8. n. 7.* ita etiam hæc debet pœnitens in confessione dicere: scio, vel (si dubium sit) dubito, an Confessarius audiverit vel intellexerit aliquod meum peccatum mortale, non tamen determinate scio, quale illud sit; de illo ergo, qualecunque sit, me iterum accuso.

91. Ex prædictis patet, Sacerdotem graviter peccare, si se exponat periculo in audiendis confessionibus ob suam surditatem non omnia mortalia percipiendi; & maxime, si, cum aliquid, quod rationabiliter præsumere potuit esse mortale, non percepit, nihilominus absolvit. Tum quia male fungitur officio Judicis, cum de

causa non plenè cognita judicet. Trid. *Sess. 14. cap. 5.* Tum quia Sacramentum irreverenter tractat; cum contra materialem confessionis integritatem ex præcepto divino necessariam agat. Tum quia inique facit, ut pœnitens cognito defecta teneatur illud peccatum, & fortè etiam plura alia juxta n. 88. & 89. iterum confiteri. Solùm ergo talis Confessarius excusari potest in casu, quo necessitas, sive jam ex parte ipsius, sive ex parte pœnitentis orta, liberat ab obligatione præcepti de integritate materiali.

Simili modo graviter peccat, qui ob distractionem vel somnolentiam deliberatè admissam non percepit, vel se periculo exponit non percipiendi aliquod mortale peccatum pœnitentis. Sed quia Confessarii communiter neutram deliberatè admittunt, ideo in dubio non sunt censendi peccare, nisi tantum venialiter. Gob. *tr. 6. n. 491.*

Si denique Confessarius tantum ob imperitiam linguæ, quæ pœnitens utitur, non possit ea, quæ mortalia sunt, percipere, neque possit commodè pœnitentem ad alium, qui melius intelligat, remittere; tunc non tantum in articulo mortis, vel cum præceptum obligat, sed etiam quovis alio tempore licitè potest eum absolvere. Sà *V. Absolutio. num. 10. Palao. de Pœnit. Disp. un. p. 11. n. 2.* Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 8. n. 9.* quia in isto casu, sicut in nonnullis aliis, non obligatur aliquis ad materialem integritatem confessionis. Debet tamen Confessarius pœnitentem monere, ut mortalia quæ ipse non satis percepit, iterum apud alium linguæ magis peritum postea data occasione confiteatur. Unde etiam pœnitens si certo

certò præsciret hoc vel illud se non posse ita exprimere, ut Confessarius sufficienter quoad speciem intellecturus sit, posset id tunc omnino reticere, & tantum postea alteri magis perito linguæ confiteri. Idem est de iis, qui lingua quidem Confessario notâ v. g. germanicâ loquuntur, sed ob phrasin vel dialectum non notam, vel ob naturale & incorrigibile aliquod vitium pronuntiationis non possunt satis ab eo intelligi.

§. IX.

An danda à non discernente inter peccata?

92. Etsi Confessarius, ut *sup. n. 87.* dictum est, debeat omnia & singula pœnitentis peccata mortalia percipere, ut, quod iudicis est, de iis possit sententiam ferre, nullatenus tamen tenetur distinctè aut explicitè de quolibet audito peccato formare iudicium, an sit mortale vel veniale; quia cum hoc nemo facere possit, nisi qui omnium & singulorum peccatorum speciem, & circumstantiarum rationes perspectas habet; nemo autem vel certè paucissimi habere possint & habeant; nemo quoque vel non nisi paucissimi officium Confessarii suscipere, eique satisfacere possent. Bonac. *de pœnit. Diss. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 8. & 12.* Sufficit ergo, si audiat & percipiat hæc vel illa peccata esse commissa; & de iis, quæ communiter & ordinariè committi solent, sciat iudicare, & iudicet, an ex genere suo, vel ex circumstantiis hæc & nunc expressis sint mortalia vel venialia, quia etiam hoc modo adhuc sufficienter agnoscit statum pœnitentis ad ferendam sententiam, & præscribenda apta emendationis remedia.

Quodsi vel Confessarius vel etiam pœnitens per errorem iudicet, peccatum aliquod, quod confitetur, esse tantum veniale, vel de eo dubitet; postea autem aliunde certò agnoscat, fuisse verè mortale, non tenetur illud iterum confiteri; modò antea, sicut à parte rei commissum est, distinctè confessus sit, quia ad valorem absolutionis non requiritur, ut Confessarius manifestè sciat peccatum, sibi in confessione explicatum, esse mortale, inquit Bonac. *l. c. n. 15.* Sed neque tunc tenetur pœnitens peccatum ejusmodi repetere, quando id juxta suam conscientiam confessus est tantum ut dubium, & postea cognoscit fuisse certò commissum, ut dictum est *sup. l. 1. p. 5. n. 170.* cum aliis contra Bonac. *l. c.* & alios.

Unde jam valet quoque absolutio data à Confessario tam indocto, ut discernere inter mortale & veniale non possit, Bonac. *ibid. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 14.* modò pœnitens bona fide & integrè sua peccata exprimat, & non de industria talem indoctum Confessarium quærat; vel certè ipse sciat & velit omnia ea præstare, ad quæ ratione suorum peccatorum obligatus est. Tan. *tom. 4. Diss. 6. q. 7. n. 133.*

ARTICULUS II.

De officio Confessarii circa absolvendum.

Ut Sacramentum Pœnitentiæ administretur validè, multa quoque requiruntur ex parte illius, qui absolvendus est, nimirum 1. ut sit præfens, cum confiteatur; & 2. cum absolvitur, 3. ut confiteatur integrè; 4. cum vero dolore; & 5. cum voluntate vitandi occasiones, &
satis.